



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xiii [i.e. xi]. Item certò, & quò ad omne[m] partem est virtus intellectualis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

examinant, num secundum regulas factum, & an in eo sit quid vitii, hi enim actus non representant rem amplius ut operabilem; & licet sint occasio, vel moveant voluntatem, ut imperet intellectui correctionem defectuum per substitutionem novi v.g. syllogismi, aut etiam in eum finem suscipiantur, ad hoc tamen per se & immediate non dirigunt. Qui tamen actus quia secundario tantum & reductivè spectant ad Logicam (uti etiam ad alias artes spectat examinare opera sua, num bene sint facta juxta earum regulas) Logica non magis dicenda erit partim speculativa, quam aliæ artes.

XI. Versatur item Logica certò circa suum objectum adeoque est virtus intellectualis quoad omnem sui partem; nam habitus Logicæ tam topicæ & sophisticæ, quam analyticæ, utpote generatus à certis, veris & infallibilibus regulis (regulæ enim tractantes de syllogismo sophistico, qualis est hæc: *Syllogismus constans quatuor terminis malè concludit*: & de topico, non minus sunt certæ & infallibiles, quam tractantes de syllogismo demonstrativo) semper inclinatur in similes cognitiones certas & veras tanquam

in

in actus suos immediatos. Cui non obstat quod actus remoti, directi ab his regulis, vel quos per eas vitare intendit Logica, syllogismus nimirum probabilis & sophisticus, sint imperfecti, vitiosi, quandoque, vel semper falsi, sed ex eo tantum sequitur, habitus ab his syllogismis topicis & sophisticis relictos non esse virtutes intellectuales. Non est tamen Logica habitus primorum principiorum, cum non inclinet ad assensum propositionum per se notarum, uti patet ex difficultate, quam habemus in apprehendendis regulis logicis. Nec Sapientia, cum non inclinet ad assensum firmum existentem in primis rerum causis & universalissimis principiis. Nec Prudentia, quia non dirigit actus humanos ad honestatem dictando quid hinc & nunc sit faciendum. Nec Ars strictè talis, cum non sit habitus cum rectâ ratione factivus, id est, versans circa actiones externas & transeuntes, sed activus, id est, versans circa actiones internas & immanentes; dici tamen potest ars, si ars cum Aristotele sumatur latius pro habitu intellectus practico, sive activus ille sit, sive factivus. Multò minus Logica est una ex non virtutibus intellectualibus (quæ

(quæ quandoque in verum, quandoque in falsum inclinant) non enim est Facultas, quia non inclinatur ad opposita sive ad utramque partem contradictionis; neque est Habitus purè instrumentarius, licet enim profit, & adhibeatur ad alias scientias obtinendas, per se tamen & propter se est expetibilis; neque est Fides humana, cum non innitatur auctoritati tradentium regulas, sed ipsi regularum veritati, neque est Opinio vel Suspicio.

XII. Versatur denique Logica circa suum objectum scientificè, sive est scientia, tam quoad partem topicam & sophisticam, quàm quoad analyticam, saltem secundum nobiliores suas conclusiones (neque opus est ad aliquam scientiam, ut omnes omnino ejus conclusiones sint scientificæ) quia hæ deductæ sunt ex præmissis certis & evidentibus, qualis est hæc: *ergo definitio debet constare genere & differentiâ*: deducta ex his præmissis: oratio explicans rei naturam debet id facere per genus & differentiam, definitio est talis oratio &c. ita tamen ut logica artificialis habitus sit primitus acquisitus, non per demonstrationem artificialis Logicæ, quam ipsa Logica artificialis docet facere, sed per demon-

B

stra-